ZFF
VI
59

Dalm.

Vatis optimus quisquis effingit pulchriter.

Didymus = gaminus

Hieromonus = sacerdos juratus

Sycophanta = calumnia

Phlyrias = nugator verbosus

Ghoes = plorator

Horos = mons, vel terminus, meta

Phthonia = invidia

Agyrtes = cerretanus, girro

anagnostes = lector

192
16
32
12
16

Salp Foscol. IV 87

Hieromonus — l'Abbé Guillot Giordani.

Agyrtes filius Bethon — Nicolò Bettoni Tipografo.

Phlyrias histrio filius Benach = anelli.

Psorionæ filius Phtoniæ — Luigi Zamberti.

Ghoes filius Hores — V. Monti.

Pygmæus anonimus — Franco Reina

Gyges anonimus — G. Bossi, Pittore.

Anna Calamobea — Annæ Vadori-Rasori.

Philippus eunuchus — Luigi Rossi.

Satrapa Phariseus — Mr. Méjean.

Nabuchodonosor — Napoleone.

Balthassar. — Pe. Eugenio Viarè.

Babilo maxima — Parigi.

— perpetuo — Roma.

— minima — Milano.

cr

DIDYMI CLERICI
PROPHETÆ MINIMI
HYPERCALYPSEOS

LIBER SINGULARIS



PISIS

IN ÆDIBUS SAPIENTIÆ

M. D. CCC. XV.

I. R. BIBLIOTHECA MEDIOLANENSIS

HUJUS LIBELLI DUPLEX FACTA EST EDITIO

QUARUM UNA EXEMPLIS XII. ALTERA XCII.

MAUR. ALDERANUS RAINERUS J. C.

JULIO RICHARDO WORTHIO EQ. SAL.

Auctor commentarioli de studiis moribusque Didymi, biennium abhinc Pisis editi, libellum exiguum quem vides, Juli, ut aliis perpaucis, sic etiam mihi permiserat exscribendum, ea lege, ut ne publici juris fieret: id quod hactenus a me cautum fuerat. Erat enim periculum ne importunissimus quisque scriptorum novam arriperet lucri commoditatem; cum admodum constet, versari inter Italos mercaturam quandam jurgiorum. Quæ lues Italiæ principio ex æmulatione municipiorum, sua quarumque peculiari libertate florentium, sed armis et moderatore uno carentium, orta est. Deinde ubi æmulatio in discordiam paullatim degeneravit, malignitas in litteris, tamquam necessitas superingruentis servitutis, coaluit. Nunc demum, ab hisce præcipue duodeviginti annis, ex quo Britannia tua communia humani generis jura tueri se profitetur, nos interim nostro

Sanguine Cyrnæi luimus perjuria Regis,

utrum mores servitutis litteras depravarint, an litteræ servitutem, haud facile tibi dixerim. Sed cum Musæ te raperent in Italiam, ubi adhuc ara et igne gaudent antiquo, nostrasque miserias solantur, aliquid etiam pro

nobis apud feliciores populos intercedunt ; tunc nonnullos cernere potuisti earum sacerdotes palam in assentationem, clam sæpius in obscæna convicia , prostare ad cujusque novorum dominantium utilitatem , vel ad servorum impotentem dicacitatem verniliter provolutos. At adulatio paucioribus grata , eòque minus fructuosa scribentibus: Mercurio benigniore reciprocantur lucrum ac probra, et quæ magis

Densum humeris bibit aure vulgus.

At quod verebar, id evenit. Quidam enim de natione illa grammaticorum ; quæ est obnoxia librariorum stipendiis, cum carptim Hypercalypseos , nescio quo pacto , aliquot capita compilasset ; paraphrasin vernaculam , prolixis explicationibus oneratam, vulgavit: tanta insuper virorum nomina ingenio doctrinaque præstantium insectatus est , ut legentibus difficilius sit stomacho temperare. Tu autem Juli , qui comitatem Senensium et perspectam nuper habuisti , et gaudes meminisse , gravius feras, interpretem atque typographum occultasse sua nomina , et tantummodo Senensium civium personam præ se ferentes, civitatem politiori humanitate religioneque hospitalitatis sane spectatissimam , esse calumniatos : utpote Senenses apud sese paterentur eosdem viros lacessitos iri , quos , si adirent , honestissime amplecterentur. Quamquam in illa paraphrasi neque paginam , neque fortasse lineam reperies , quin Insubrem ἰδιωτισμόν redoleat ; interdum etiam Florentinitatem quæsitam : quod sane indicium Insubris grammatici est. Id non tibi , quem in hanc litem adi-

gerem arbitrum , sed civibus tuis et litterarum nostrarum expertibus , explicabo.

Gratia quædam nativa sua sponte fluit ex ore populi Florentini: verba tamen , quamvis felicioris naturæ , ut in scriptis niteant , exquisitam diligentiam , atque meditationem assiduam scriptoris desiderant. Verum nonnulli , qui in urbe Florentia et proximis civitatibus dant operam libris , sic scribunt , ut lingua nostra potius notha , præpostera servilisque Gallicæ linguæ soror , quam Romanæ linguæ primogenita filia , atque hæres locupletissima , suæque originis jure libera videatur : sive quod ritu mortalium abundantiam negligentia corrumpunt ; sive quod propria , tamquam communia cum plebe , expolire fastidiunt ; aut potius quod consulere malunt lectoribus suetis loquentiæ Francogallorum ; quam , magnificis quidem titulis , philosophicam atque universalem concelebrant. At contra Bononienses , Mediolanenses , Veronenses in primis , quique alibi ferulam Orbilianam adfectant , archaismos atque deridiculos logos , a fabulatoribus ex industria in ludicro genere scripturæ admissos , nullo discrimine sibi colligunt ; persæpe etiam stribligines quæ Davo alicui , aut Syro , aut monacho lenoni in comœdis vetustissimis ex ore profluunt ; ipsa aliquando exscriptorum et typographorum errata , quæ in primis majorum editionibus irrepserunt. Igitur non ex arbitrio usus , aut aurium consensu , neque ex analogia , neque ex fœcunditate ingenii , neque ex materiæ decoro ; sed ex superstitione scholastica rationem sibi sumunt atque imperium loquendi. Sed cum res pessima

factu, optimo persæpe consilio se tueatur, istas sordes verborum in historiis atque in altioris generis oratione permiscere, exemplis atque lege sanxerunt: scilicet *oportere pristinas vires et germanam speciem sermoni reddere; idque assequi omnino neminem posse, nisi in honorem revocentur innumera vocabula immerito obliterata.* Næ lingua potius miserrimam speciem decrepitæ præbeat! Lepide hos homines poeta Senensis irridet:

Troppo Toscano il non Toscano accusa:

cui versiculo plane Horatiano, Venosini tripodis oraculum addam; eò libentius, quod ex Didymi codice peculiari novissimam lectionem sum nactus (nondum a quoquam animadversam, ne a Rich. quidem Bentlejo; quod tamen non, hercule, miror; de aris enim et focis suis ageretur)

Dum vitant *docti* vitia in contraria currunt.

Sed hæc quoque vitia ex ingeniis delapsis in omne genus servitutis fluxerunt. Sic, dum alteri novitati, alteri antiquitati obligantur; vis illa genialis et, ut ita dicam, NOVA LIBERTAS, MAJORUM LEGIBUS MODERATA eò tandem amissa est, ut turbæ lectorum ne vel suspicione quidem attingere queant, utrum Attice scripseris an more Cario:

Νάσης αὖ Καρῶν ἤνησατο βαρβαροφώνων.

Nonne vides, barbariem verborum irrisui fuisse Iliacis etiam temporibus? Nostris vero haud absurde Pseudosenensis speraverat, dolum non posse ex indicio sermonis, nisi a paucissimis, deprehendi.

Neque ego loquaculum istum animadversione mea dignum existimarem, nisi me ille, sinistra laude efferendo, eruditorum virorum (quos, ut dixi, grammaticus impudens notat) invidiæ quam admodum reformido, devovisset. Invenit enim Didymus nescio in quorum monachorum bibliotheca acroama vetustum de *Eunuchomachia*, id est, de rixantis et lucrosæ philologiæ usu. Epitomen, tui gratia, Juli, ante oculos ponam = Postquam Mercurius infans barbato Apollini boves furatus esset, duo Dii, licet fratres et ab Jove nati et beati, simultates maximas agitabant. Quocirca Patris gravissima auctoritas intercessit, et lege cautum fuit: POETAS ESSE MERCATORES: ITEM MERCATORES, POETAS ESSE PROHIBETOR. PŒNA DOMI, ÆS ALIENUM: PUBLICA, DEDECUS ESTO. Hanc legem satis gratam Mercurio, Apollo ægre tulit: quippe qui divina præsensione sciebat, aliquando ditissimos, nobilissimos fortissimos quosque mortalium scribendi munus dedignaturos; idcirco clientes suos, nisi mercaturæ quoque vacarent, fore ut egestate identidem laborarent. Hac de re multæ atque contentiosæ disceptationes habitæ sunt in concilio Deorum, donec Janus ex duplici ore tanta tamque composita verba fecit, ut non solum et Jovi temperare legi, et Apollini obtemperare æquo animo jussis Patris persuaserit, sed et Martem quoque placaverit. Mars enim invitus patiebatur, poetas, rhetores atque grammaticos omnesque alios, qui promiscuo *eruditorum* nomine designantur, abstinere bello. Nova lex igitur lata est, per quam, cum Fato genus mortalium immortales gerat inimicitias, potentes et generosi, armis;

servi rudes, quibus arma aut vetita sunt aut formidolosa, rudibus pugnant ; servi autem eruditi in loco rudis decertant instructi conviciis, nonnumquam ad internecionem, nunquam tamen sine aliquo emolumento. —

Hos igitur, Juli, silentio meo non effugerim. Adde, quod Pseudosenensis, ut me pluribus certioribusque indiciis inligaret, meque adnuere suæ fraudi cogeret, re et facto fidem mendacio conciliavit ; qui quidem fateatur, *undecim tantummodo Hypercalypseos capitum potestatem sibi factam fuisse ; quocirca haud satis exploratas habere singulas* ἀλληγορίας *: verum, a me uno obtineri posse.* Mihi itaque maturandum videtur, ut Hypercalypsis prodeat, tum Hebraicæ latinitati suæ restituta ; tum nuda atque integra, minimeque noxia objurgationibus commenticiis. Etsi vereor, ne idem ille, qui meæ libellum fidei commiserat, dissensum profiteatur : tamen si quæ venit ex necessitate, non æqua modo, sed vel justissima est excusatio : præsertim cum id quod alii quæstus causa egerunt ; nos invidiæ detestandæ gratia, destruere conemur. At exemplarium non amplius quam CIV prælo tradidi : hac scilicet mente, ut sincera hæc editio, abrepticiæ versionis inverecundiam magis arguere, quam auctoritatem aliquam ambagibus Didymi tribuere videatur.

Molestiam equidem magnam, mi Juli, ac minime profuturam arbitrator suscipere illum, qui Hypercalypseos rationem reddere professurus sit. Etsi, et suas inesse cuique vocabulo significationes, easque intelligentibus pulcherrime patefieri, multi fuerint qui prorsus arbitrarentur :

quædam etiam exquisita anecdota, ut ajunt, conjectura colligi posse pollicerentur ; alii non item, quinimo existimabunt aut scurram, aut ægrotum, aut furentem, et quovis modo inficetum hominem, jocularia fudisse. Mihi tamen de hoc tantum liquet ; rationem scripturæ hujus, omnibus numeris, suo consentire consilio : quod quale sit, fortasse aliquis probabiliter dixerit ; prudenter, nemo. Me non pudet dicere non intelligere : id non fateor solum, sed et patior facilius quam abuti opportunitate hariolandi ; et, aut falli et fallere ; aut, si quid scriptor consulto ambagibus inumbraverit, parum caute ac minus honeste retegere ; aut cum vate desipiente desipere. Interdum enim, num vaferrimus mortalium sit Didymus ; interdum, num amentissimus, dubito, Marcus Jovianus Rainerus Marci F. municeps gentilisque meus, cui, dum sub Rege Vindelicorum stipendia merebatur, aliqua cum Didymo familiaritas intercesserat, enodationem Hypercalypseos, rogatu meo, ab eo flagitavit : sphingis responsum adepti sumus. En, Juli, infra scriptum exemplum epistolæ.

Didymus clericus
M. J. Rainero Eq. Hier. Sal.

Didymo quondam antiquo accidit, ut cum historiæ cuidam, tamquam vanæ, repugnaret, ipsius proferretur liber qui eam continebat : quod et mihi hodie. at illi, quod plurima scripserat : mihi, quod fere nihil. quando et innumerabilia, et perpaucissima sint æque eodem fato obliviosa. potissimum homini qui ab ineunte virili ætate

nil amplius scribendum, nil legendum decrevit. tunc, nescio quo anno sæculi, juxta castra Julia ad Morinos, omnes schedas meas centurioni familiari tuo dono dedi atque arbitratu. Hypercalypsin (nomen auribus meis plane novum) dictavisse non memini. accepi a Jacobo Annonio sacerdote innocentissimo, optimo viro, me in adolescentia vigilem et valentem et siccum (sum enim abstemius) vidisse portenta : mox per triduum scriptitasse. hæc quoque non memini. sed tuuc fortè libellum sibyllinum scripsisse, haud inficiar : non memini : neque legere aveo ; neque, ut expostulas, enarrare sciam, neque velim. quinetiam de suscipienda editione, ad Apollinem Didymeum ire jubeo. Veritas, si modo ulla in ænigmatibus inest, latet quasi semen quod sine offensione præsentium, sine fraude posterùm floreat, vi temporis : contra, si res ludrica est, ætas eadem et nugas, et auctores, conjectoresque ridebit. Verum, et mortalem vaticinari, et quæ scripserat plane oblivisci neutrum credibile tibi fuerit : ipse id satis habeo, multa sæpe fuisse et vera et incredibilia. Quid ? Nonne fuit Didymo cæco Juliani lethum divinitus patefactum ? Plura rescripsi præter consuetudinem meam : sed hisce litteris, tamquam edicto monere libuit, ne quis homini propediem morituro quietem irrumpat. Aveto. scrip. Ufenæ ad Ulrici Hutteni sepulcrum.

Sed cum suo cuique vel Genio vel Fato, verum etiam libidine sit utendum, difficile factu erit, quin aliquis exemplum Pseudosenensis libentius imitetur quam nos-

trum. Quis enim de se confidentius non sentit ? Quis ergo non sibi dictum putet versum Euripidis.

Μάντις γ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς :

quem, me invito, in libri titulo circumscriptum effigiem Didymi vides ? Vel quis singula Prophetæ minimi oracula ingenio proprio illustrata, ut singula testimonia posteritati non commendabit ? Neque ego abnuerim, alios scire posse, quæ ipse nescio : at illis prorsus assentior, qui stultam scientiam quæ sapientia caruerit existimant :

Rarus enim ferme sensus communis in illa
Doctrina.

igitur, nisi religio mihi esset quidquam de autographo mutare in locum inscriptionis a Græco Tragico sumptæ, sententiam Latini Comici sapientissimam surrogarem :

Scin' scite quod scis, proin' tu sileas scitius,
Te id sciscere inscitissime ?

Fortasse hoc quæsito ejusdem litteræ concursu Comicus carpit Euripidem, Sophoclem, aliosque gravissimos poetarum, quibus interdum hæc verborum schemata in deliciis erant : ut illud Ennianum

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

His antiqui rhetores patrocinantur ; hæc recentiores mirantur ; hæc quis ausit dicere repudianda ? tantummodo a doctissimis viris verecunde petere ausim, ut verba Comici vetusti amplectantur ; nec sententiam aspernentur ; scilicet ; — Quisquis garrule promit omnia

vel quæ optima didicit, stultissime res suas gerit. Caveant præsertim Hypercalypseos interpretes, ne adimpleatur in iis verbum Prophetæ minimi: *Ignorantiam asinorum potiorem esse stultitia doctorum.*

ATQUI non sum inscius (tametsi venalia atque invidiosa commenta defuerint) rem mihi asperrimam fore cum illis, quibus satius est probro affici, quam omnino non nominari; qui quidem non in alterius, sed in sui offensionem ænigmata excipient: quorum hominum tria genera novi. Unum genus est eorum qui aliquantula bona fama non carent, at augendæ impatientia miserrime anguntur: insidias quotidie pavent; hostes undique venire cernunt; quidquid anili suspicione perviderint, pro comperto habent; quæruntur sese insontes ac de re litteraria optime meritos calumniis peti; ad Mæcenatem confugiunt; cognitionem ab Augusto institutam de famosis libellis recolendam reposcunt; principis severitatem sollicitant; auxilia ephemeridum sibi adjungunt, et ad æquitatem humani generis provocant: scilicet orbi terrarum maximum fore ex detrimento rei litterariæ periculum. Alterum genus est eorum quibus, cum neutram famam assequi possent, quietem alienam movere magna merces videtur: belli caussas anquirunt, arripiunt; nec spes ulla victoriæ; at pacem metuunt: non tam sibi prodesse quam aliis obesse malunt. Tertium genus est eorum quibus famosa sunt nomina, pudor attritus; nobilitari se audacia ac dedecore student; neque sua met ipsi probra reticere vel dicere quidquam pensi habent, dommodo aliquo pacto innotescant. Nam ut mortales qui a libidine

laudis exagitantur, præclara sæpe, tamenetsi vana luctuosaque humano generi, facinora moliuntur, ubi opes, fortuna atque ingenii vis adsint; sic alii qui his rebus omnibus indigent, eademque ebrietate tument, nil adeo ridiculum, nil abjectum, nil fœdum excogitare possunt, quod statim non experiantur. Itaque doctissimus, et interdum [pace tua dixerim] elegantissimus poetarum finxit laudem more Bacchantis quatientem thyrsum:

Percussit thyrso Laudis spes magna meum cor.

IGITUR ex cathedra clamitabunt, Hypercalypsin temere atque maligne in trivia jactam fuisse quasi semen rixarum: quas nihilominus alacri mente amplectentur. Tum me cavillari; causari; in jus rapere; consistere litem; lege privata me interrogare; eversorem dicere rei litterariæ, hostem patriæ; principis perduellionem me judicandum: denique editorem æque ut Hypercalypseos scriptorem capite damnandos; typographum ac librarios magna pecunia multandos; lectores igni et aqua prohibendos. At si prætor de accusatione cognosceret, lex illa Justiniani Imp. sanctissima: *Si quis agens intentione sua plus complexus fuerit quam ad eam pertineat*, satis præsidii mihi esset. Sed discrimen erit,

Judice, QUEM NOSTI, populo: qui stultus honores
Sæpe dat ignis: --
quem, nisi fuste coerces,
Urgueris turba circum te stante, miserque
Rumperis et latras:

a quo iras et verba viri doctissimi mutuantur. Irarum telis, ex conscientia innocentiæ, satis viriliter obviam

eam : verba tamen (postquam perlegi Eunuchomachiæ dialogum) magnæ mihi formidini sunt. Itaque si quid erraverim , inire pœnitentiam non recuso ; prælia deprecor : obnoxium me præbeo ; et pacem , aut saltem inducias , oblatis vectigalibus , opto :

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyrannis.

Quod si illi paci , vel gloriosæ , turpissimas rixas prætulerint ; ego malim mutus condemnari , quam loquaciter triumphare Chrysippus ille , quem Cicero vaferrimum , versutissimum , callidissimum Stoicorum , appellat , cum nequiret frangere captiosos academiæ soritas , aliud argumentum dialecticum excogitavit quod vocabat τὸν ἡσυχάζοντα λόγον : videlicet , dum alii verbis instituunt , *quiescendum*.

Neque ego intercedam pro Didymo , quem tantæ suavitatis hominem novi , ut ne hostibus quidem suis gaudia iniquæ ultionis invideat : præterea rerum humanarum adeo incuriosum , ut nesciret qua tempestate , vel qua de re , vel quorum populorum armis , bella ætatis nostræ perpetua agerentur ; neque Regum nomina nosceret ; neque cujus sub ditione provinciæ Europeæ essent : neque horologio aut kalendario uteretur : horas , dies , menses , sæculi annos non numerabat. Videant quoque viri eruditi , ne defunctum hominem adoriantur : nam post litteras illas quas M. J. Rainero Didymus scripsit , mortuus an vivus , quidve eo factum sit , adhuc quæro.

Ceterum , ne plura de Didymo ex me sciteris , reperies ad calcem libelli commentariolum olim Italice

editum quem initio epistolæ memoravi. Addam esse penes me codices autographi duo , quorum alter est inscriptus : Ὑπομνημάτων βιβλία πέντε, id est (ut scriptor commentarioli interpretatur) *libri memoriales quinque* , *de vita sua* ; quos Didymus stilo Græco-Alexandrino , nescio qua mente , serio tamen , perscripsit ; et aliquando edere , versione sive latina sive italica adjecta , in animo mihi est : alter , qui a scriptore commentarioli appellatur : *Itinerario a' confini della repubblica letteraria* , titulo caret ; hanc modo præfert ex Phædro inscriptionem :

Joculare tibi videtur et sane leve :
Dum nihil habemus majus , calamo ludimus.

at edendum non arbitror. Interdum satis urbane jocari Didymum in itinerario video ; aliquando haud inscite nugari ; sæpius tamen discinctum ludere et pueriliter ineptire : qui etiam testetur vidisse se in abditas partes ædium academiæ cujusdam , legem in pila ahenea majoribus incisam litteris ; sic :

Q. F. F. S. NEMINIVE. FRAUDI. SCRIPTURAS. QUASQUE ANTIQUITUS. SIVE. ANTIQUO. SERMONE. VEL. CHARTIS TRIBUS. SCRIPTAS. PROFERUNTO. SUMTUOSE. EDUNTO. OPTUMATI. SIVE. DEXTERO. SIVE. SINISTRO. QUOIQUE DECORÆ GRATÆVE. SINT. DICANTO. PRÆFATIONE. MAXUME. LATINA MINUME LACONICA. MAGNIFACIUNTO. IN. QUA. PLERA TAMENETSI. NEQUE. HILUM. ATTINENT. DISSERUNTO. GRÆCORUM. ROMANORUMQ. CARMINA. SINGULA. BINA. TRINA PLERA. EX. SANCTUARIO. INDICUM. RECITANTO. VARIA. IN-

AUDITA. LECTIONE. RENOVATA. ITEMQ. ALIQUOT. LINGUARUM. OMNIUM. VOCABULA. EX. THESAURIS

SANCTIO

OLLIS. QUI. HUJUSCE. LEGIS. ERGO. SEMEL. PARUERINT GRADUS. PRIMUS. ADSCENSUS. AD. CATHEDRAM. ESTO. OLLOS QUI. ITERUM. MAGISTROS. HABENTO. QUOS. TERTIO. ΠΑΝΥ APPELLANTO. SI. QUIS. SECUS. FAXIT. SPORTULÆ. MINUUNTOR. CRIMEN. VIOLATÆ. REI. LITTERARIÆ. ESTO

Atque ego, quamquam hoc editoris pensum, instantibus fatis, invitissimo mihi obtigit; nihilominus conatus sum exsequi non nisi rite: scilicet, non ex lege fortasse a Didymo ficta, verum ex perpetuo Eruditorum consensu, qui, ut lex, valet: non enim tam nescire, quam insolenter capessere litteras pro dedecore habent. Itaque, ne communia philologiæ jura videar migrare, scripsi ad te, Juli Rich. Worthi, epistolam; latinam, fortasse parum; verbosam, satis: in qua ne ratio ulla editionis Hypercalypseos te aliosve lateret, multa et varia complexus sum. En quoque libellum haud invenustis typsis exscriptum, iisdemque illis exornatum figuris in manuscripto delineatis: has præterea curas adhuibui, ut tibi omnium amantissimo elegantiarum, atque bibliothecis amicorum munusculum typographicum concinnarem. Vale. Scrib. Pisis. Kalend. Quinct. MDCCCXV.

HYPERCALYPSIS



DIDYMI HYPERCALYPSEOS

CAPUT PRIMUM

1. Visio Didimi clerici super Hieromomum monachum.

2. Et factum est ut Hieromomus nondum diaconus scriberet diaria in adycto templi de rege, grege, lege et prophetis: Et spiritus ejus obediebat pecuniæ.

3. Gaudebat quoque funeribus et exsequiis villicorum : Et cum orphani et viduæ non haberent cereum propter sepulturam consanguineorum, Hieromomus minabatur eis verbum Domini :

4. Væ villici ! quomodo receditis ab oratione sanctorum ? Ferte vinum, et triticum, et obolos elcemosynæ ne sacerdos contaminetur in luctu : Nisi sacerdos et clericus precati fuerint pro defunctis vestris, diabolus devorabit eos in gehenna ignis.

5. Et ego Didymus recordatus sum verbum Dei: Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ : quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes.

6. Propterea recessi a via Hieromomi : et tantummodo scribebam diaria cum eo.

CAPUT SECUNDUM

1. Et factum est ut in undevigesimo anno, in sexto mense, in tertia mensis a baptismate meo, in die dominicæ, hora prima ante versperas, contremeret arbor, et vidi visionem :

2. In terram transmigrationis Haramheorum, secus flumen civitatis Firzah, in agro qui dicitur Ptomotaphion : quod viri Haramhei interpretantur, sepulcretum quadrupedum.

3. Ego natus ad collem cyparissorum, loquar omnia quæ vidi in visione et quæ audivi in præsepia.

4. Qui audit, inquirat : et qui non habet oculos, quiescat in verba mea.

5. Et cum discumberem subter ficum, inhians labiis meis, si forte ventus qui agitabat ficum demitteret fructus in os meum : silentium stetit circum animam meam, et calor laxaverat mihi nervos et artus : erat enim mensis ficorum.

6. Et aures meæ audiverunt tonitrua in somnio: et ictus quasi grandinis percutiebant mihi nasum.

7. Ego autem expergefactus præ dolore nasi aperui oculos, et terror invasit in ossa mea : arbor enim concutiebatur veluti per procellam, et cœlum erat sine procella.

8. Et ficus acerbiores percutiebant mihi nasum : et lac eorum manabat amarius felle et absynthio : ficus autem maturiores pendebant ramis.

9. Cogitans cogitavi quod diabolus sederet in arbore, ut scriptum est per poetas in carminibus gentium et in libris metamorphoseon.

10. Et cum surrexissem vidi virum juvenem militarem cum acinace et galea et crista, habentem manu sinistra cornu venatoris : dextera autem concutiebat truncum ficus.

11. Et dixi : Apage Satan : et pedes mei currebant procul ab arbore, currebant veluti super renes equorum.

12. Tunc sonitus terroris conversus paullatim in vocem hominis, clamavit : Sta : Ego autem cecidi in faciem meam et audivi vocem clamantis : Sta super pedes tuos et loquar tecum. Ego interim cum surrexissem currebam procul a voce.

13. Interum vox appellans me nomine meo, et nomine patris mei, et nomine atavi mei, prosequebatur me: vir militaris currebat calceatus ocreis, et calcaribus ferreis: et sonus acinacis in vagina ferrea currentis super silices implevit frigore suras meas dum ingrederer præsepe bubulci contubernalis mei ad fugiendum terrorem inferni.

14. Et ecce ante oculos meos sedens super manipulum fœni cum calatho in manibus anicula quædam quæ vocabatur Margarita.

15. Vir autem militaris stans ad januam præsepis clangebat cornu clangore turmarum in die prœlii,

CAPUT TERTIUM.

1. SIGNUM quod factum est Didymo clerico ab anicula Margarita cum vir militaris clangore cornu arceret omnes animas puerorum lascivorum et filiarum agri a janua præsepis.

2. Boves bubulci, cum tuba sonaret, timuerunt lanium et ploraverunt multo mugitu: Vis taurorum percutiebat cornibus præsepe, et virga generationis eorum extendebatur in ira: Agni lactentes currebant ad matres, et matres et agni stipabant ad invicem sese præ pavore : Et equi aratoris hinnitu inhiabant pugnam: Et sues grunnientes cursabant undique perterriti per præsepe . Canis autem pastoris longo ejulatu dixit omen triste. At anicula Margarita orabat sine pavore mentis ad Dominum.

3. Et cum viderem fortitudinem et fidem aniculæ amplexus sum eam : et plorans velut infans clamavi Aa Aa.

4. Et cum tertio aperuissem os meum ad clamandum Aa, anicula illa posuit in gutture meo dulcedinem ficus quem unum habebat in calatho.

5. Et comedi ficum: et factus est in ore meo, sicut mel, dulcis.

6. Illa autem porrexit ante me calathum vacuum. Et vir militaris dixit ad me: Si plantaveris vineam et fructetum venter tuus quiescet, et cogitationes tuæ sanabuntur.

7. Fac ut calathus iste quem ego do tibi impleatur sudore et labore tuo in nomine Dei.

8. Quid enim resupinus expectas ventum et procellam ut dejiciant fructus in os tuum? somnus et mors deprehendent animam tuam.

CAPUT QUARTUM

1. Posthæc exorsus est iterum clangor cornu viri militaris, et audivi vocem illius: stabat enim ad ostium præsepis.

2. Veruntamen melior est somnus quam fraus: melior est mors vitæ quam malum nomen et ignominia: optimum autem manducare panem opera manuum tuarum et vigilare in labore bono.

3. Expergiscere, Didyme, expergiscere: convertere oculos ad lumina cœli, et ad Dominum qui creavit cœlum et terram, et hominem ut desiderio cœli operaretur terram.

4. Scriptum est: Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas ut dormias: et veniet ad te quasi viator egestas, et vituperium quasi vir armatus.

5. Et ecce tu captas viaticum insipientiæ et desidiæ et scandali: scribis enim ephemeridias adversus fratres tuos quærens lucrum in adulatione et calumnia.

6. Tu es clericus: quid ergo diaria cum clericis? Doce parvulos orationem quam didicisti in tabernaculo sancto: lege tibi et agricolis parabolas veritatis:

7. Quia Deus diligit parvulos et pusillos et pauperes: reddet ergo tibi bonum secundum caritatem tuam erga eos.

8. Evangeliza pauperibus orationem dominicalem: ut petant in quiete mentis et in sudore frontis panem quotidianum:

9. Ut in patientia cordis discant dimittere debitum debitoribus prædivitibus qui non reddunt operario mercedem:

10. Ut, cum leges, greges, reges filiorum Adam evertentur, subvertentur, revertentur super faciem terræ, agricolæ et operarii adorantes clament: Fiat voluntas Dei sicut in cœlo et in terra.

11. Sic pro labore justo habebis panem et pacem in domo cordis tui.

12. Cave præsertim ne scribas diaria : melior est somnus quam fraus : melior est mors vitæ quam malum nomen et ignominia.

13. Memoria scriptorum omnium ephemeridum in compositione adsentationis et objurgationis fiet opus sterquilinii.

CAPUT QUINTUM

1. Onus Hieromomi.

2. Et vox viri militaris increpabat ultro : Homo homo de colle cyparissorum , fili Raphael filii Seraphim , scio opera tua , et adsentationem ad captandos improbos , et jurgia tua in prophetas , et insidias in animam meam: tu es vivus et mortuus.

3. Sed quia odisti opera Hieromomi adversus viduas , remitto tibi peccata.

4. Revertere a via tua pessima : leges enim cum cœcis , et scribes cum sycophanta : et tempus iræ propre est.

5. Hieromomus fiet monachus et sacerdos in urbe transmigrationis Gallorum Senonum ad Austrum Alpis Penninæ.

6. Et accinctus diploide impudentiæ , docebit pueros doctrinas quas ne ipse quidem didicerat.

7. Et fiet apostata : ut confiteantur omnes quod scriptum est per sapientem : Homo apostata , vir inutilis ; graditur ore perverso ; annuit oculis ; terit pede ; digito loquitur ; pravo corde machinatur malum ; omni tempore jurgia seminat : huic extemplo venit perditio sua.

8. Ideo Hieromomus scribet diaria ad injiciendum ignem inter stipulas civitatis quam manus Dei liberavit ab eversione et perditione licentiæ.

9. Et replebitur maledictione populi sui : et sumens malitiam suam et atramentarium et baculum viatoris exulabit per gentes alienas , donec veniet in terra fertili, ubi sedet Babylo minima , ad populum epulantem , de quo vaticinatus est Jacob :

10. Asinus fortis accubans inter terminos : vidit requiem quod esset bona , et terra quod optima , et supposuit humerum suum ad portandum , factusque est serviens tributis.

11. Ibi coluber devorans infantem interfectus est a malo cydonio agricolæ : et malum cydonium conterritum a lilio : lilium autem avulsum ab induperatore monacho cujus filii et abnepotes tenebant terram illam sub tributo per satrapas:

12. Mox Deus dominus exercituum dedit Viraginem principem populi : sicarii , publicani , et lenones mœchati sunt eam , et facta est meretrix.

13. Et Vultur præ se ferens vexillum Aquilæ venit et dixit pullo suo: Ego dominus : tu autem princeps populi hujus: et dabo tibi alas Leonis ; et cornu unum Tauri bellicosi ; et Piscatoris litora : verumtamen tu contemne prophetas , quia ego multitudine stultorum sapientiam prophetarum obruam.

14. Principio Deus induit fortitudine ensem pulli; et mentem ejus justitia ; et cor ejus misericordia : et pulchritudo et castitas osculatæ sunt in thalamo suo : et vidit virgines et matronas versantes rosas in lectulo filiorum suorum.

15. Deinde res nimis prosperæ et adulatores , et Synagoga Doctorum , et Senatus Parasitarum inflaverunt animam suam , et in ebrietate gloriæ suæ rejecit prophetam ; vocavitque Synagogam Doctorum , et Senatum Parasitarum , et dixit ad eos verba Baruch:

16. Ecce misimus ad vos pecunias , de quibus emite holocautomata et thus , et facite manna , et veneramini Nabuchodonosor trium Babylonum , et me Baltassar filium ejus : magnificate bellipotentem:

17. Ut omnes populi silcant sub umbra Nabuchodonosor : vos autem cantabitis eum sub umbra mea , ut serviatis mihi et servis meis multis diebus , et inveniatis gratiam in conspectu meo semper.

18. Et dedit Hieromomo grabatum et ferulam , et constituit eum pædagogum Chaldæum ephebo-rum atrii regis.

CAPUT SEXTUM

1. Onus Hieromomi.

2. Dixit spiritus Dei vivi: Necesse est ut veniant scandala.

3. Tradidit ergo Satanæ scribas et pædagogos et anus poetrias libidinosas ut scandalizent.

4. Hæc dixit vir militaris ad me : Gallus homo satiabitur fructibus terræ pinguis , et vociferabitur:

5. Obliviscimini linguæ patrum vestrorum quia profert inania : loquimini linguam meam quæ habet verba sapientiæ , et cantat mirabiliter in orchestra.

6. Tunc et Hieromomus bibet vinum in convivio Eden satrapæ , et una cum gallo vociferabitur : Expuam fel e jecore meo super facies filiorum populi ad sanandos oculos eorum , quia prophetæ excœcaverunt civitatem.

7. Cives autem boni dicent Hieromomo : Extendis linguam tuam quasi arcum mendacii et non veritatis :

8. Comede et bibe in paupertate tua sub rege prodigo, et superpone digitum ori tuo : ne lictores equestres adducant te in castrum civitatis paludosæ usque ad mortem.

9. Sed aures Hieromomi non erunt audientes verbo patientiæ : et iterum sub-annabit prophetas justos terræ pinguis, ubi sedet Babylo minima.

10. Cives autem dicent iterum : Hieromome presbyter ; exue vestes amatorias juvenum, et indue te indumento nigro levitico :

11. Abjura sacrilegium adulterium et simoniam : mitte calamum sycophantæ : tolle librum psalmorum, et cum sacerdotibus et populo dic canticum in templo Dei ad exoptandam pacem urbis, libertatem civium, et gloriam principis :

12. Noli, tu sacerdos, magnificare clades triumphales : minus enim a Domino Deo petimus règem bellipotentem ; magis verò sapientipotentem :

13. Scriptum est : Tu es sacerdos in æternum.

CAPUT SEPTIMUM

1. Onus Hieromomi.

2. Audi, Didyme, quia cives boni facient tertio verba patientiæ Hieromomo : filiusque Vulturis prætendet alas suas super eum.

3. Apostata autem obduratur in prævaricatione ; nec habebit ultra medicinam : et cum tertio non audiet, et Vultur repulsus fuerit in nido ignominiæ, onus ultionis corruet adversus eum.

4. Lictores equestres ligabunt manus ejus in pollicibus ferreis, et circumdabunt eum vinculis.

5. Bibliopolæ pro redemptione nummorum quos dederant ei ut scriberet cum atramento sycophantæ ad liniendam libidinem improborum, venundabunt verromercatoribus papyrophylacium Hieromomi.

6. Lectores ephemeridum execrabuntur eum in amaritudine quia crediderunt mendacio, et persecuti sunt veritatem.

7. Ille recordatus dierum felicitatis suæ, petet auxilium ; et participes quoque sui recedent ab eo.

8. Phlyrias histrio, filius Benach ; et Ghoes poeta, filius Horos ; et Psoriona ludimagister, filius Phthoniæ ; et Agyrtes bibliopola, filius Bethon :

9. Et alia genimina Mammonæ quorum frons est attrita et cor non est carneum:

10. Qui dictabant diaria Hieromomo, et instaurabant eum testem fornicationis calumniæ in prophetas vivos, et in reges mortuos:

11. Et prandebant cum illo agnum pinguem de grege, et vitulos Vaccæ Pastoris boni:

12. Dicebantque Hieromomo: Affer vinum et bibemus: Et in crapula et ebrietate amplectebantur invicem clamantes: Pax: et non erat pax.

13. Tu ergo despice eos: neve convivia illorum adeas: quia manducant panem pollutum.

14. Necque sermones illorum audies: quia falsiloqui, et subversores, et irritatores sunt, et spiritus oris eorum multiplex.

15. Neque protuleris eloquium coram eis: quia increduli, invidi, delatores, et exasperantes.

16. Quam ob rem, illis audientibus, pone signaculum labiis tuis: præstolator intellectus sui venundabit veritatem, et mercenarius animæ suæ tradet animam fratris sui.

17. Iidem ergo omnes exprobrantes calamitatem Hieromomo, apponent peccata sua super eum.

18. Unusquisque autem in abscondito cordis sui obdurabit cogitationes suas in impietate.

19. Diu silet enim conscientia in præcordiis impiorum: conscientia impiorum leo dormiens.

20. Scriptum est: Iniquitas surrexit in virga crudelitatis: sed crudelitas, sero quamvis, sibi flagellum.

21. Ideo dum lictores equestres adducent Hieromomum in castrum civitatis paludosæ usque ad mortem:

22. Ghoes, et Psoriona, et Phlyrias, et Agyrtes filius Bethou prosequentur eum jacentem in compedibus super plaustrum, et canent tuba: Io.

23. Et fricabunt faciem ejus urtica ut discat erubescere.

24. Tria tantum; Ara, Aratrum, et Arbor patibuli, filiis Adam opus sunt: unus vero inverecundis hominibus pædagogus optimus; Carnifex.

CAPUT OCTAVUM

1. GLADIUS quem vidit Didymus clericus.

2. Silentium circumstetit et tenebræ factæ sunt in psæsepia : vesperascebat enim dies.

3. Et audivi vocem dicentem : Sume calathum et accede. Et sumsi calathum et dixi : Ubi es ?

4. Et vir militaris evaginavit acinacem clamans : Sequere lumen fortitudinis.

5. Et vidi acinacem coruscantem nudum : et cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus.

6. Et apprehendit me in cincinno tonsuræ meæ : et adduxit me ad flumen urbis Firzah in aggere qui respiciebat ad aquilonem, ubi est sepulcretum quadrupedum.

7. Minæ turbinis possidebant terram : et stellæ retraxerant lumen : nox solitaria gradiebatur in circuitu sepulcreti : et in cursu aquarum tonitrua.

8. Gladius autem viri militaris, in aspectu æris candentis, frangebat noctem.

9. Et ex utraque parte chalybis, velut stellæ magnitudinis minimæ, præfulgebant literæ duodecim :

10. Ex parte una, literæ sex : **EST EST** : ex parte altera, literæ sex : **NON NON.**

CAPUT NONUM

1. VERBUM super anum poetriam.

2. Et ecce similitudo mulieris nudæ, annorum sexaginta : quæ, quasi vulpis sitiens prædam per solitudinem, explorabat undique penetralia fovearum quadrupedum ; et sub lumine aeris tenebrescentis veniebat,

3. Distorquens oculos, intuitu procaci, dentibus fractis, mammis attritis, femore fœdo proluvie, ventre prægrandi, cruribus valgis :

4. In capite ejus calvitium : et nesciebat consistere pedibus.

5. Et habebat manu sinistra calamum.

6. Et effodiebat morticina quadrupedum : congregabatque putredines conglutinans eas in ore suo.

7. Et expuebat conglutinatum : et coagulatum est in atramento scriptoris.

8. Post hæc quatiens colubrum rubrum immanem, percutiebat manu dextera nates suas magno cachinno :

9. Et continuò oculi mulieris sexagenariæ insaniebant libidine.

10. Et inhorruerunt pili carnis meæ.

CAPUT DECIMUM

1. Mors Hieromomi.

2. Et ecce eunuchus quidam, ludimagister, nomine Philippus: homo spurius de terra transmigrationis Haramheorum.

3. Gradiens incessu anseris: et conspicilli equitabant nasum ejus: erat enim varus et lippus.

4. Tenebatque ligonem vespillonis: et semitæ ejus erant involutæ ambiguitate et caligine: quem cum conspexisset lamia clamavit currens obviam ei:

5. Ecce coagulavi secundum præceptum Psorionæ atramentum calamo suo et fratrum suorum.

6. Opus perfeci: veni et inebriemur amplexibus donec illucescat dies.

7. Eunuchus respondens ait: Anna soror Calamoboa, Hieromomus cinædus tuus mortuus est nudiustertius in vinculis et blasphemia.

8. Phlyrias et Ghoes, et Psoriona filius Phthoniæ, et Agyrtes filius Bethon, mœchi tui, venient ad sepeliendum eum in Ptomotaphio: iidem enim exhumaverunt corpus ejus de loco sancto ubi Synagoga Doctorum sepeliverant eum.

9. Et ecce hic ego fossor sepulturæ rursum.

10. Et cum audivisset hæc verba, poetria pererrabat ad similitudinem canis fœtæ lustrans tenebras et sepulcra:

11. Et ejulabat valde dicens: Venena latentia in putredine, et morticina pestifera:

12. Date mihi virus ad occidendos in convivio Ghoes, et Psorionam et Phlyriam, et omnes Apostolos eorum Iscariotes Hieromomi mei:

13. Stillate atramentum et scribam alphabeto flammeo maledictionem æternam: optimates enim urbis crediderunt mihi:

14. Et sicut acuebam calumnias adversus maritos meos: et excæcavi Justitiam calamo, et aperui aures suas lacrymis meis: Et e sacramento germinavit condemnatio innocentium:

15. Sic scribam in libro imprecationem et juramentum et væ ad perdendos etiam nocentes:

16. Quoniam participes et proditores cinædi mei vivi, persecutores etiam facti sunt mortuo.

17. Et bacchabor in Sinagoga Doctorum, et in templo, et in emporio populi nuda:

18. Conspicite me populi omnes quia etiam vestimenta mea tandem abominantur me.

19. Cognoscite immunditiam meam quam texi indumento virginis:

20. Numerate super frontem femoris mei oscula Phlyriæ, et Agyrtes, et Ghoes, et Psorionæ inquilini domus meæ.

21. Confitebor omnia facinora mea et fornicationes, et calumnias, et infanticidia; quoniam adulteri mei, adjutores mei hypocritæ, exultant in amaritudine luctus mei: et sepulcrum Hieromomi erutum est manibus eorum.

22. Corripite ergo me fune et igne et forcipe dummodo excrucientur adulteri mei mecum: et dulcificabo amaritudinem meam opprobrio adulterorum meorum, et consolabor in inferno.

CAPUT UNDECIMUM

1. Post hæc mulier sexagenaria tinxit calamum atramento cunglutinato in ore suo

2. Et scripsit super convexum femoris sui multitudinem adulterorum suorum, numero arabico: nomina autem eorum litera Haramhea:

3. Et numerus et nomen convertebantur in ulcus: et nares meæ abominatæ sunt fœtorem.

4. Et dum lamia illa ejularet, vidi lacertum viridem contorquentem se se ex ore suo: habebat enim lacertum pro lingua.

5. Et ex ore lacerti spicula mille: et in omni spiculo sulphur, et virus, et sanguis.

6. Eunuchus interea Philippus effodiebat foveam ligone.

7. Sedens autem fessus super aggerem glebæ foveæ deposuit ligonem in femore suo: et conserens manus suas, et emittens vocem tintinnabuli obtusi, dixit mulieri:

8. Audi, Anna Calamobòa: Synagoga Doctorum ne scandalizarent plebem et ecclesiam sepelierunt corpus Hieromomi in circuitu dormitionis fidelium:

9. Pavor autem viatoris vespertini obtulit hesterna nocte oculo suo similitudinem Hieromomi egredientis e tumulo, evertentis cruces defunctorum in pace.

10. Et simulacra eorum in aspectu legionis columbarum timentium accipitrem orabant gementes ad Deum : *Inimicus animæ nostræ exterens ossa pacifica.*

11. Audi Anna, et parce mihi; quia conturbatio super conturbationem, et auditus super auditum : etenim inhabitantes apud locum religionis audivere vocem Hieromomi :

12. Clamabat enim ab inferis : Fili Horos, fili Bethon, fili Phthoniæ, fili Benach : et vos omnes qui tractabatis consilium mecum :

13. Ad quid dereliquistis solum in prœlio ?

14. Eja depellite prophetas de nido vitæ; umbra mea autem evertet reliquias eorum, et ossa eorum ludibria aquilonis :

15. Ne viventes in posterum commemorent virtutes eorum super tumulos, et lugeant eos.

16. Cives igitur qui audiverunt hæc ; reædificaverunt hodie oriente sole sepulcra fidelium : et instauraverunt cruces snper ea, et maledixerunt Hieromomo.

17. Postea irruerunt adversus Ghoes et poetas ; et adversus Phlyrias et scurras ; et adversus Psorionam et ludimagistros ; et adversus Agyrtem et bibliopolas, et genus omne scriptorum ephemeridum.

18. Et adversus Synagogam Doctorum.

19. Et etiam adversus me, quamvis custodiam vocem in faucibus meis, ne obstruantur in convivio Eden principis Parasitarum : quia esurio.

20. Neque calamum tinxi in atramentario, neque chirographum dedi typographo : quia paveo.

21. Verbum meum invisibile jactum in præcordia aurium irrisoris divitis : et cum germinaverit zizania de semine meo in ore alieno, ego dicam : Non novi.

22. Ego ergo recogitans consilium, dixi in concilio adulteris tuis : effodiamus cito corpus Hieromomi ; sepeliemus illud in Ptomotaphio.

23. Futurum est enim ut locus sanctus sit in æternum acies pugnæ inter umbram Hieromomi et umbras fidelium.

24. Sicut dictum est per poetam : *Curæ non ipsa in morte relinquunt.*

25. Nam ubi rursus Hieromomus vocaverit vos ab inferis, revelans opera vestra, furor populi et lapides corruent in nos omnes.

CAPUT DUODECIMUM

1. FUNUS Hieromomi.

2. Et vir militaris dixit ad me: Convertere Didyme ad plagam orientis, et vide: Et continuò facta est lux lurida in circuitu aeris.

3. Et vidi et ecce ibi sexcenta millia alarum vespertillionum micantia sulphure accenso, et supernatantia per fluenta fluminis.

4. Et supervecta alis properabat ad nos cymba nuda velis et remis.

5. Et in cymba similitudines virorum sex, et feretrum.

6. Et cum adpropinquassent ligaverunt cymbam ad truncum arbuti in aggere.

7. Et primus egressus de cymba homo pusillus qui vescebatur spongiis et glycyrrhiza : hic Agyrtes filius Bethon.

8. Habebatque super humerum corbem voluminum, et in manibus cymbalum: et festinabat clamans loquaciter:

9. Ecce aromata mea, ære alieno magni parta ad comburenda ossa Hieromomi.

10. Secundum autem egredientem de cymba vidi hominem loquaciorem, capite tecto caliendro de pelle simiæ; et larva personæ in manibus ejus; et alebatur cicadis: hic Phlyrias histrio filius Benach.

11. Tertius veniens oculis et lacertis excoriatis, manducans apes et expuens aculeos in os hominum concinnabat verba achaica, et in labiis ejus murmur lojolitæ; et in manibus ejus radices verborum: hic Psoriona filius Phthoniæ.

12. Et vidi in fronte hujus scriptos cum fuco auripigmenti numeros arabicos undecim 19876543210.

13. Et cum adpropinquaret ad fulgorem gladii viri militaris, ecce numeri decem priores facti evanidi: numerus autem postremus *zero* factus grandior in medio frontis.

14. Quartus autem egrediens intuitu tristi, manducans limaces et expuens salivam clamabat: Colligite argentum meum: Et commixta salivæ exibant cornua limacis: hic Ghoes filius Horos.

15. Et posuit super aggerem vasum plenum papyris carminum: et cum spiritus venti rapuisset carmina et obtulisset illa omnia ante oculos meos:

16. Ego Didymus legens vidi: PRO LEGE, IN LEGEM: PRO REGE, IN REGEM: PRO GREGE, IN GREGEM.

17. Interea ille canebat carmina cum tumultu, et discordia personabat in cantico liræ suæ:

18. Cumque dixisset carmen, circumspectans undique insidias et æmulos, prætendebat palmam dexteræ suæ ad eleemosynam, veluti cæcus in vestibulo templi.

19. Sequebatur eos quattuor pygmæus quidam anagnostes: et frons ejus velut tabula et caries; vescebatur enim tineis librorum; clamabatque voce ranarum: Miserere:

20. Et cum homo quartus proximus ei, plecteret illum valde crudeliter plectro liræ suæ, anagnostes respondebat: Amen.

21. Hic schismaticus est, et sine nomine.

22. Postremus autem et indutus vellere verris decoriati egressus est de cymba gigas altitudinis quinque cubitorum et palmi:

23. Vorans reliquias cœnæ magnæ cœnaculi filiorum Carnificis Sancti:

24. Et ruminabat epulas velut Bos: et eructabat eas clamans:

25. Unus ego omnia scio quæ vos omnes nescitis: nam Judas Iscariotes qui tradidit Filium hominis in osculo sancto erat de stirpe David. David enim rufus erat.

26. Tunc vir militaris dixit ad me: Gigas ille indutus vellere verris nescit quod populi sciunt: etenim ipse quoque tradidit magistrum suum Synagogæ Doctorum: Baltassar deceptus a Synagoga dedit quinque millia aureorum pretium proditionis, et constituit gigantem magistrum magistrorum.

27. Hi sunt viri sex quos ego Didymus vidi egredientes de cymba.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

1. Et gigas ille erat sandapilarius: et deposuit feretrum prope foveam defossam ab eunucho.

2. Et cum subvertisset sandapilam ad ejiciendum cadaver, agnovi Hieromomum olim monachum, et lacrymæ obortæ sunt in oculis meis, et palpebræ meæ caligavere.

3. Recordatus sum enim dierum innocentiæ meæ, et lusus pueritiæ nostræ: et omnes cogitationes meæ fractæ sunt statim formidine mortis æternæ.

4. Et velavi manibus oculos meos ne forte vir militaris conspiceret veritatem adflictionis meæ:

5. Ille scrutans præcordia mea dixit: Initium virtutis misericordia: scriptum est: Justi omnes misericordes sunt; et Deus custos misericordiæ:

6. Et si hi omnes qui stant coram te minati fuerint animæ tuæ, miserere eorum.

7. Et ubi omnes homines timeant eos, terebit eos tribulatio, et conscientia, serò quamvis, vallabit eos.

8. Inter hæc filius Bethon instaurabat rogum de voluminibus corbis.

9. Mulier sexagenaria assumpsit planctum super cadaver.

10. Phlyrias autem cantabat juxta eam voce meretricia cantiones melicas poetæ exsecti: plorabatque lacrymis comœdi.

11. Later jacebat in Ptomotaphio, et gigas cœlavit in eo unguibus effigiem Hieromomi, atque epitaphium quod per alpha et beta pygmæus anagnostes scripserat: sic:

ΤΑΦΟΣ. ΑΡΑΣ. ΙΕΡΟΝ
ΚΥΝΑΛΩΠΗΞ. ΙΕΡΟΜΩΜΟΣ. ΚΕΙΤΑΙ
ΝΕΚΡΟΣ. ΔΑΚΝΕΙ. ΦΕΥΓΕ

12. Pygmæus ne forte alii conspicenret quæ scripserat, sedit super laterem: et illudens illis locutus est tibi: Ἀλωπηκίζειν πρὸς ἀλώπηκα.

13. Et vir militaris, respondens illi, dixit ad me: Ὄφις, εἰ μὴ φάγοι ὄφιν, δράκων ἂ γενήσεται.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

1. Eunuchomachia. Exorsa est enim rabies æmulationis inter Psorionam et Ghoes: alter enim malebat Hieromomum laudare pro rostris: alter vero cantare in strepitu liræ epicedium.

2. Psoriona autem clamabat: Audi Ghoes; quia Nabuchodonosor rex trium Babylonum constituit me doctorem Synagogæ suæ minimæ: quisquis igitur respuerit scripta mea, majestatis reus erit; quippe qui subarguet ignorantiæ Nabuchodonosor regem, qui me constituit doctorem.

3. Ghoes autem clamabat: Sile, fili Phthoniæ; quia orationes tuæ ambulant pedetentim; carmina vero mea pennis volucribus volant: idcirco Nabuchodonosor rex constituit me præconem nominis sui, ut confiteantur eum populi omnes: quisquis igitur antefert orationes suas pedestres cantionibus meis, antefert gloriam suam gloriæ Nabuchodonosor regis: tu ergo majestatis reus eris.

4. Hæc ego Didymus audivi in visione argumenta incredibiliter vera: futurum est itaque ut tradantur laudata posteritati per hebdomadas Polygraphi.

